



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratia iustificari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

eam spes accedat, & caritas, neque vnit perfectè cum Christo, neq; corporis eius vnum membrum efficit: qua ratione verissimè dicitur, b Fidem sine operibus mortuam, & otiosam esse. Et, In c Christo Iesu neq; circumcisionem aliquid valere, neque preputium; sed fidem, que per caritatem operatur. Hanc fidem ante baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum petunt fidem, vitam eternam prestantem; quam sine spe, & caritate fides prestare non potest. vnde d Statim verbū Christiani audiunt: d Si vis ad vitam ingredi, serua mādāta. Itaq; veram, & Christianam iustitiam accipientes, eam e ceu primam stolam pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi, & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam & immaculatam iubentur statim renati cōseruare, vt eam perferant ante tribunal Domini Iesu Christi, & habeant vitam eternam.

Quomodo intelligatur, impium per fidem, & gratis iustificari.

CAPVT VIII.

f Rom. 3. **C**um verò Apostolus f dicit, iustificari hominem per fidem, & gratis ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesie Catholice consensus, tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum

& ra-

b Iac. 2. in fin.

c Gal. 5. & 6. c. circumcisio de poen. d. 2.

d Matt. 19

e Luc. 15. quomodo renouati de poen. dist. 2.

f Rom. 3.

Radix omnis iustificationis: g sine qua im- g Heb. 11.
 possibile est placere Deo, & ad filiorū eius cō- infra ca.
 sortium pervenire: gratis autē iustificari ideo
 dicamur, quia nihil eorum, que iustificationē
 præcedūt, siue fides, siue opera, ipsam iustifica-
 tionis gratiam promeretur, si d enim gratia h Ro. 1.
 est, iam non ex operibus: alioquin, vt idem Ephes. 2.
 Apostolus inquit, gratia iam non est gratia. Tit. 3.

Contra inanem hæreticorum
 fiduciam.

CAPVT IX.

Quamuis autem necessarium sit credere, Tit. 3.
 neque remitti, neq; remissa vnquā fuisse
 peccata, nisi gratis diuina misericordia pro-
 pter Christum: nemini tamen fiduciam, a
 certitudinem remissionis peccatorum suorū ia- a inf. ca.
 etanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, 12. & 13.
 vel dimissa esse, dicendum est; cum apud here-
 ticos, & schismaticos possit esse, imò nostra tē-
 pestate sit, & magna contra Ecclesiam Catho-
 licam cōtentione prædicetur vana hæc & ab o-
 mni pietate remota fiducia. Sed neq; illud assē-
 rendū est, oportere eos, qui verè iustificati sūt,
 absq; vlla omninò dubitatiōe apud semetipsos
 statuere, se esse iustificatos, neminēq; a pecca- b Inf. ca.
 tis absolui, ac iustificare, nisi eñd qui certò cre- 14.
 dat se absolutū, & iustificatum esse; atq; hæc so-
 la fide absolutionem, & iustificationē perfici:
 quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deq;